



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio III. De Prouidentia Dei supernaturali circa Reprobos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

QVÆSTIO III.

De Prouidentia Dei Supernaturali circa reprobos.
S. Thomas, art. 3.

HÆC est supernaturalis prouidentia pars altera, eos homines & Angelos spectans, quos vltor scelerum Deus deputat ad pœnam: In hoc ipsum videlicet excitatos, vt ostendat in eos virtutem suam & vt annuncietur nomen eius in vniuersa terra: preparata est enim ab Heri Tophet, à rege preparata, profunda & dilatata, nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. De hac igitur vindice scelerum prouidentia disputari eadem illa possunt, quæ de prædestinatione sunt explicata, sed breuius & facilius. Primum sit existentia eius, quidditas, actus quos includit. Secundum causa. Tertium effectus reprobationis.

SECTIO I.

Reprobationis nomen, existentia, & quidditas.

Nomen
reprobationis.

Certum est primò, nomine reprobationis communiter significari decretum illud æternum Dei, quo aliqui propter demerita excluduntur à regno, & deputantur ad pœnam: reprobatio enim electioni opponitur, quæ voluntas est efficax coronandi delectos & dilectos Dei, sic ista est voluntas absoluta proijciendi suos hostes, & non apponet vt complacitur sit adhuc. In quo sensu sæpe vsurpant nomen illud scripturæ, *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Deus proiecit illos, ac cum alijs pradicauerim ipse reprobos efficiat.* Vnde varia sunt in scripturis reprobationum, & reprobationis nomina; dicuntur videlicet ab Apostolo *vasa ira, vasa in contumeliam*, quia effundit & congregat Deus super eos mala, & sagittas suas in eis complet: dicuntur etiam proiecti, eiectionis, expulsi, foras missi, despecti, obliuioni traditi, quæ omnia significant cognitionem, & decretum Dei, quo post præuissum peccatum eorum finale separantur ab electis, & à regno excluduntur, *Ut tanquam ignita, frumea prohibeantur, indigni, ne manum suam extendant ad arborem vite*, vt loquitur Augustinus homil. 5. in Psalm. 118.

Reprobationis
existentia.

Certum est secundò, esse reuera in Deo actum illum æternum qui dicitur reprobatio, quia cum multi de facto excident à gloria, & in æternum damnentur, Deus autem in tempore nihil faciat, quod ab æterno facere nõ decreuerit, necesse omnino est vt existat in Deo æternum illud decretum, & sententia impios supplicij addicens, quæ actus est iustitiæ punitiue, tenditq; in pœnam peccati, quæ bonum maximū est.

Non dedecet
prouidentiam.

Neque verò actus ille indignus est prouidentia summè bona, neque vllum in ea defectum arguit, quod multis rationibus probari solet. Primò enim (inquit S. Thomas) quia de ratione prouidentia summè sapientis & generalis est, vt permittat causas quasdam secundas ex natura sua defectibiles, deficere à consequitione sui finis; spectat enim ad rationem prouisoris vniuersalis, sinere causas particulares agere secundum finem naturæ suæ, sed eo ipso quod causæ defectibiles agunt secundum modum suæ naturæ, deficiunt à fine, quia propter inclinationem naturæ multa committunt peccata, ergo spectat ad rationem prouidentia, vt pariat causas quasdam deficere. Deinde infinita Dei magnitudo, & attributa non elucet minus in reprobatione, quàm in electione, nam in vtraque mirabilis est iustitia puniens, & remunerans. *Quod si Deus* (inquit Apost. Roman. 9.) *volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa potentia vasa ira, apta in interitum.* Mirabilis etiam potentia est, vt ex eodem probatur loco, & Exod.

Tom. I.

9. Idcirco posui te vt ostendam in te fortitudinem meam; est enim infinita potentia bona ex malis elicere, imò inimicorum consilia in perniciem eorum & in gloriam suam conuertere. Sola diuina vis est, cui etiam mala bona sunt, (inquit Boëthius) quid enim est potentius quàm efficere, vt voluntati suæ seruiant, quæcunque fiunt contra voluntatem suam. Præterea supremum in omnia dominium; cuius enim vult miseretur, & quem vult indurat, denique summa bonitas & misericordia tū in ipsos reprobos quos citra condignum punit, diu tolerat, expectat in multa patientia & inuitat ad pœnitentiam: tū erga electos, vt ostenderet (inquit Apostolus) *diuinitas gloria sua in vasa misericordiae quæ preparauit in gloriam*, vide Ruiz disp. 16. & sequentibus.

Quid sit.

Certum est tertio, reprobationem rectè definiri, est iudicium æternum quo aliquis propter peccatum finale, indignus æterna vita pronuntiatur, & dignus æternæ pœnæ, cum decreto excludendi eum à gratia finali, & à gloria, puniendique pœnæ æternæ, quia reprobare aliquem duo dicit, primò eum iudicat indignum aliquo bono quod obtineri ab eo poterat, deinde à tali bono eum propter indignitatem excludere. Iudicium igitur & propositum totam componunt reprobationem. Vnde?

Actus quos
includit.

Certum est quarto, in reprobatione tres inueniri actus intellectus, & totidem voluntatis, vt de prædestinatione dictum est. In intellectu actus scientiæ simplicis cognoscit possibilitatem culpæ, ac pœnæ: scientia conditionata cognoscit futuram culpam & pœnam si negetur auxilium efficax: scientia visionis, cognoscit intuitiue futuram culpam & pœnam. In voluntate primus actus est decretum permittendi peccatum, & perseverantiam eius vsque ad mortem. Secundus voluntas excludendi à gloria. Tertius voluntas puniendi æternæ pœnæ sensus.

Vtrum autem omnes illi actus, tū intellectus tū voluntatis ingrediantur quidditatiue ipsam essentiam reprobationis, colligi debet ex dictis de prædestinatione. Nam ex actibus intellectus solus ille actus scientiæ simplicis, quatenus practicus est, & præluceat voluntati permittenti peccatum, vel punienti, constituit essentiam reprobationis, reliqui eam vel antecedunt vel sequuntur. In voluntate non est dubium quin voluntas permittendi perseverantiam in peccato, voluntas excludendi à regno, & puniendi sint essentielles reprobationi: de permissione primi peccati difficultas est cuius solutio pendet ex dicendis de effectibus reprobationis, vbi disputatur vtrum permissio primi peccati numerari debeat inter eos.

Quotus
plex sit.

Certum est quinto, reprobationem propriè dictam rectè diuidi in negatiuam, & positiuam. Negatiua, est voluntas negandi gratias efficaces ad vitandum peccatum, & dandi solum sufficientes. Positiua est voluntas excludendi à gloria, & puniendi in æternum. Prima rectè vocatur reprobatio à gratia efficaci: posterior reprobatio à gloria, sicut enim preparatio mediocum efficacium vocatur prædestinatio, sic eorum negatio, dici debet reprobatio permissiua, vel negatiua, quia permittit peccatum, & negat auxilium efficax: neque putauerim debere dici quod reprobatio negatiua sit volūtas illa positiua Dei, quā in eo signo in quo electos gratis prædestinat, de reprobis dicat, nolo eligere hos & illos ad gloriam electione illa gratuita quæ non est prior nec posterior meritis; hoc enim si Deus diceret certè positiue veller illos excludere à gloria priusquam videret eorum peccata, quia velle non eligere, non est aliud quàm velle excludere.

X

SECTIO

SECTIO II.

De causa reprobationis, siue de ordine actuum quos reprobatio includit.

Causam reprobationis appellamus, id quo mouetur efficaciter Deus ad reiiciendum à se hominem & ad destinandum illum tanquam vas iræ in contumeliam æternam, quia verò, aliam dixi esse reprobationem negatiuam, & permissiuam, in qua Deus positiuè decernit negare gratias congruas, & negatiuè se habet circa gloriam efficaciter decernendam: aliam positiuam in qua Deus vult efficaciter damnare in æternum: vtriusque causam inquirere ardua planè res est, & supra hominis captum.

§. I.

Quenam sit causa reprobationis negatiua.

Duplex
dubitatio.

Ratio dubitandi est primò, quia in solam Dei voluntatem referri non potest reprobatio negatiua si vera illius causa sit peccatum originale, sed hoc peccatum est causa reprobationis negatiua; sic enim videtur asserere Augustinus cum ait: *Gratiam gratis dari ei cui datur, ei autem cui negatur, illam in isto iudicio negari*: & alibi, *qui ergo liberatur gratiam diligit, qui autem non liberatur, delictum agnoscit*. Deinde in ijs quibus non remittitur hoc peccatum, potest illud mouere Deum ad negandam gratiam efficacem, & in ijs etiam quibus illud remittitur, quia licet peccatum remissum immediatè puniri non possit pena æternà, potest tamè aliquando causare aliquid ex quo sequatur æterna pena, nam Deus ob peccata grauiora in confessione remissa, sæpè negat gratias ex quarum defectu incidit homo in peccata grauiora.

Secundò, si sola Dei voluntas est causa reprobationis negatiuæ sola etiam Dei voluntas erit causa reprobationis positiuæ. Probatur, quia illa est causa reprobationis positiuæ, quæ causat aliquid cui omnino infallibiliter, & ex certo Dei decreto iuncta est reprobatio positiua, sed voluntas Dei causat reprobationem negatiuam, cui omnino infallibiliter reprobatio positiua est annexa, ergo causat reprobationem positiuam.

Affertio.

Dico primò, causa reprobationis ~~positiua~~ negatiua non est demeritum vllum hominis reprobati neque peccatum originale, sed sola voluntas Dei, ita Theologi omnes vna voce.

Scriptura.

Primò, enim sic conuincitur ex scripturis v.g. Roman. 9. *O homo tu quis es qui respondeas Deo nunquid signum dicit ei qui se fluxit*, &c. Deinde dicitur *Esaïa odio habitus antequam quidquam mali faceret*, quod cum exponi non possit de reprobatione positiua, vt statim probabitur, exponi necessariò debet de negatiua, & hæc est altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quam esse inscrutabilem & inuestigabile prædicat Apostolus.

Patres.

Secundò, eadem Patrum præsertim August. sententia est verbi gratia tract. 26. in Ioann. *Quare illum trahat, & illum non trahat, noli diiudicare si non vis errare, si autem peccatum esset causa huius reprobationis, posset sine vllò periculo erroris de hoc quisque indicare*. l. de dono perseuer. c. 1. *cur autem potius illis, quam illis detur quis cognouit sensum Domini*, & c. 12. idem repetit *cur hunc potius liberet quam illum iterum atque iterum dicimus, o homo tu quis es vt respondeas Deo*.

Ratio.

Tertiò, ratio euidentis hoc conuincit, quia quod est prius quam omne peccatum hominis reprobati non potest causari per vllum peccatum hominis reprobati, sed voluntas permittendi peccatum, & negandi gratias congruas ad illud vitandum est prior quam omne peccatum hominis reprobati, quis enim neget peccatum prius permitti quam sit, ergo voluntas permittendi peccatum causari non potest per vllum peccatum hominis reprobati.

Peccatum
originale.

De peccato originali posset esse maior difficultas,

quia illud prius est quam reprobatio hæc negatiua, sicque illam causare potest quod male negant Vasques & Herice, ego probatum manifestè puto in prima ratione dubitandi; sed probabilius tamen cenfeo quod de facto illud peccatum reprobationem istam non causat, quia illud quod non est causa, vt Deus reprobo potius gratias neget congruas quam electo non est causa reprobationis negatiuæ, sed peccatum originale nõ est causa cur negetur gratia congrua vni potius quam alteri, cum vterque peccatum habeat originale, ergo, &c. Deinde iustissimè Deus potest ex voluntate sua negare gratias congruas aliquibus cum earum sit Dominus, neque teneatur eas vlli dare, præsertim cum magis hinc eluceat Dei misericordia in prædestinatos quibus sine merito vllò dat tales gratias, quod cum Apostolo inculcat sæpissimè Augustinus.

Ad primam ergo patet responsio, posse peccatum originale causam esse huius reprobationis, sed de facto non esse: Augustinus autem cum dicit gratiam iusto iudicio negari ei cui negatur, & cum qui non liberatur, debere agnoscere debitum, loquitur de gratia fidei Christianæ ad quam qui non veniunt imputare sibi, non Deo debent: non loquitur autem de prima gratia efficaci, quam nullus demereri potest.

Ad secundam vt respondeatur videndum est.

§. II.

Quenam sit causa reprobationis positiua.

Id est, quid Deum efficaciter moueat ad decernendam homini reprobo æternam penam, vt illud sit aliquod eius peccatum, aded vt præuisio peccati prior sit hoc decreto: An verò solum Dei beneplacitum, non attendens ad vllum reprobi peccatum aded vt, prius sit decretum damnandi Iudam quam præuisio vlla eius peccati. In quo puncto triplicem video esse dicendi modum.

Prima est sententia Caluini, quam meritò Catherinus vocat intolerabilem, & horribilem, Stapletonius autem in c. 9. ad Roman. appellat execrabilem quod Deum iniquitatis arguat, & iniustitiæ, consistitque potissimum in duobus. 1. Quod causa reprobationis, atque aded damnationis alia non sit quam Dei voluntas, non autem vllum prorsus peccatum. 2. Quod reprobos Deus ad peccatum sic impellat, vt necesse illis sit peccare eandem in Deum blasphemiam, sicut alias pleræque fides Caluini assecla sequutus est. Irenæus dogmatistes, asseruitque solam Dei voluntatem supposito peccato originali, causam esse adequatam reprobationis, & hunc errorem ipsi etiam tribuit Aug.

Secunda est sententia plurium Thomistarum quibus præiuvireviam Bannes, Zumel, Aluarez, Deum antequam præuideat vllum hominis futurum peccatum, aut meritum ex solo suo beneplacito aliquos eligere ad regnum, alios autem positiuè excludere à regno, vt beneficio indebito, quamuis ad ignem æternum eos non destinet nisi post præuisum peccatum, in quo differunt à priore sententia Caluini.

Tertia est sententia Gran. tract. 6. d. 2. quæ vt atrocitatem minuat sententiarum propositarum, faterur reprobationem positiuam esse posteriorem peccatis conditionatè præiudicis, sed vnico tamen, & eodem actu decerni à Deo peccati permissionem, & damnationem reprobi, aded vt simul in eodem signo, permittatur peccatum, præuideatur illud futurum & decernatur hominis damnatio, eo prorsus modo quo dixi fieri totam prædestinationem ad gloriam, gratiam, & merita, cum hoc tamen discrimine quod Deus positiuè velit merita, peccata verò non velit nisi permittuè.

Ratio verò dubitandi primò, ex varijs petitur scripturis Rom. 9. *Esaïa antequam quidquam agat boni vel mali habetur odio, eodem modo, quo amatur Iacob*, sed his verbis significatur gratuita electio positiua ipsius Iacob ante omnia merita, vel certè simul cum

Sententia
Caluini.

Sententia
Thomistarum.

Sententia
Granadi.

Scriptura.

cum meritis, ergo significatur etiam positiua reprobatio Elai ex solo Dei beneplacito. Deinde Pharaon in hoc ipsum dicitur a Deo excitatus, ut ostendat in eo potentiam & virtutem suam, cuius vult miseretur, & quem vult indurare. Comparatur Deus figulo, qui pro voluntatis suae arbitrio ex eadem luti massa vas aliud facit in honorem, aliud in contumeliam. Denique si Deus non reprobatur nisi post demerita, immerito negotium totum reprobationis dicitur inscrutabile & inuestigabile.

Secundo, SS. Augustinus & Thomas in ea prorsus sententia videntur esse, neque verba illorum aliter explicari possunt, ut de August. probat Petavius supra citatus nam v.g. Enchir. c. 98. & 99. *Sola* (inquit) *gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam concreuerat massam ab origine ducta, causa communis*, & postea tum electionis tum reprobationis solam hanc ait reddi posse causam o homo tu quis es; idem docet epist. 106. & saepe alibi Augustinum sequutus est S. Th. art. 5. ad 5. quare illos eligat ad gloriam, & illos reprobet non habet rationem nisi voluntatem Dei.

Tertio, in eo signo in quo praedestinos Deus eligit efficaciter ad gloriam, cogitat etiam de reprobis, & vult illos non eligere ad gloriam, sed velle non eligere, est velle illos excludere a gloria, ergo in eo signo in quo Deus aliquos eligit ante merita reprobatur etiam alios ante demerita, neque vlla ratio est cur Deus vno actu possit velle gratiam, & gloriam electorum, & non possit velle permissionem peccati & poenam reproborum. Confirm. primo, quia Deus in eo signo, in quo vult electis gratias congruas vult illas propter finem salutis, ergo in eo signo in quo vult permissionem peccati, vult illam propter aliquem finem, qui non est alius quam damnatio. Confirm. secundo, quia Deus antecedenter ad peccata vult aliquid cui est infallibiliter annexa aeterna reprobationis damnatio, ergo in illo signo antecedenter, vult virtualiter damnationem reprobi.

Dico secundo, Deus ante prauius peccata neminem positiue decernit damnare poenam aeternam, vel etiam excludere a regno ut beneficio indebito, ita contra duas priores sententias relatas fuisse probat Vasq. disp. 95. c. 5. Suarez l. 5. c. 3. & 6. Bellarm. l. 2. de gratia c. 16. & l. 2. de remissione gratiae c. 12. Molina in concordia art. 5. disp. 3. Arrubal disp. 88. c. 2. Herice disp. 3. apud quos inuenies eximia ex scripturis & Patribus, mihi.

Prima ratio sit, quia reprobatio haec quomodocumque sumatur, vel pro deputatione ad poenam, vel pro exclusionem a regno, si antecedat merita prauius, tollit omnimodam libertatem ad peccandum vel non peccandum, quia est suppositio prorsus antecedens, praefertim in sententia eorum, qui negant scientiam conditionatam, imò ea etiam admissa satis supra ostensum est stare non posse libertatem cum decreto illo absoluto cum quo est simpliciter impossibilis negatio peccati & negatio damnationis; unde illa simpliciter est ineuitabilis & salus impossibilis, & verum est dicere quod salus nunquam fuit possibilis omnibus illis qui damnantur, quod repugnat diuinae bonitati, ac iustitiae, estque contrarium voluntati generali saluandi omnes homines, quod probatur si Deus habet voluntatem saluandi Iudam, tenetur ex vi huius voluntatis reddere Iudae salutem possibilem, sed salus illa nullo modo est Iudae possibilis, si antecedenter ad peccata est impossibilis ex sola voluntate Dei; ergo si Deus antecedenter ad peccata reprobatur Iudam a regno, nunquam habet voluntatem illum saluandi, quod ita est manifestum, ut nullo modo conciliari possint voluntas saluandi omnes homines, cum voluntate antecedente damnandi reprobos.

Secunda ratio est, quia si voluntas excludendi a regno est independens a peccato futuro, sequitur reprobum non excludi a regno propter peccatum commissum, consequens illud est contra fidem, ergo illa voluntas non est independens a peccato. Probat. maior, tunc

homo non damnatur propter peccatum commissum, quando damnatio est futura etiam si nullum esset peccatum, sed esset futura damnatio reprobi, quamuis nullum esset eius peccatum. Probat. damnatio prius est absolute futura, quam sit futurum peccatum, posito enim decreto Dei absoluto, implicat ut non sit damnatio reprobi, ergo damnatio est verè futura, quamuis nullum sit futurum peccatum. Confirm. primo, in illo signo non est futura exclusio a regno in quo non sunt adhuc futurae causae per quas ponenda est exclusio a regno, sed in eo signo in quo nondum sunt futura peccata, nondum sunt futurae causae, per quas futura est damnatio, ergo nondum est futura damnatio in eo signo, in quo nondum sunt futura peccata, ergo implicat ut decretum efficacis damnationis, sit ante prauius peccata, cum ex vi huius decreti peccatum sit futurum.

Tertia ratio sit, quia reprobatio prout est exclusio a regno tanquam beneficio indebito non fit ante prauius permissionem vllius demeriti, si adaequata causa Deum mouens ad decernendam exclusionem a regno, est peccatum reprobi prauius, sed adaequata causa mouens Deum ad decernendam exclusionem hominis a regno est peccatum reprobi prauius, ergo illa exclusio non fit ante prauius peccatum. Probat. minor, quia per illam causam mouetur Deus ut velit exclusionem reprobi a regno, per quam solam actu positam mouetur ut illum de facto excludat, sed tota causa per quam Deus adaequate mouetur ad aliquem actu excludendum a regno, est peccatum actu positum, ergo illa etiam est causa decreti.

4. Denique, quia verum omnino erit dicere quod reprobis siue bene, siue male agat indefectibiliter damnabitur; quia cum decreto absoluto de damnatione coniungi nullo modo potest negatio damnationis, sed decretum damnationis est absolutum ante omne peccatum reprobi, ergo ille siue bene agat, siue male, semper damnabitur. Confirm. quia, illud decretum non est in Deo, quo posito Deus tenetur positiue velle peccatum, sed posito decreto antecedente damnationis seu exclusionis a regno Deus tenetur velle absolute peccatum, quia tenetur velle id sine quo non potest poni damnatio seu exclusio a regno. Neque respondere aduersarij possunt Deum teneri velle peccatum permissiue. Quia Deus non potest permittere peccatum propter finem efficaciter volitum, nisi conditionate sciat peccatum illud futurum, si permittatur, sed ex aduersarijs nulla est scientia conditionate futurorum, ergo non vult duntaxat peccatum permissiue, sed positiue.

Dico tertio, neminem Deus positiue reprobatur a gloria nisi post prauius peccata, non solum conditionate, sed etiam absolute futura atque adeo falsum est, quod Deus post scientiam conditionatam peccati futuri eodem actu decernat permissionem peccati, & exclusionem a regno, ita omnes doctores citati contra tertiam sententiam Granadi.

Ratio autem primo est, quia si Deus decernit excludere a regno, ex sola sua voluntate quamuis prius non prauidetur peccatum absolute futurum, sequitur quod damnatio reprobi tam referri debet ad Deum tanquam ad primam causam, quam salus praedestinatorum, consequens est absurdum, ergo Deus prius videt peccatum absolute futurum, quam decernat excludere hominem a regno. Maior euidens est, quia ideo salus electorum refertur ad Deum, ut ad primam causam, quia voluntas dandi gloriam, non sequitur merita prauius, sed voluntas excludendi a gloria, non sequitur peccata prauius, eo quod Deus in eodem signo permittat peccatum, & decernat exclusionem a gloria, ergo damnatio reprobi tam refertur ad Deum ut ad primam causam, quam salus electi, hoc autem repugnat scripturis: *Non est voluntatis meae mors impij dicit Dominus: perditio tua ex te Israel, in me tantum modo auxilium tuum*, repugnat concilijs, nam Valentinus sub Lothario

cap. 3. docet in electione saluandorum misericordiam Dei, precedere meritum bonum, in reprobatione periturorum meritum malum precedere iustum Dei iudicium: quod idem habetur in Tridentino sess. 6. can. 17. repugnat Patribus, præsertim Augustino innumeris locis l. de gratia, & libero arbitrio c. 21. *Nolite dubitare præcessisse merita mala*, l. 3. contra Iulianum c. 18. *non potest sine meritis malis damnare, quia iustus est.*

Secunda ratio.

Secunda ratio, illa est, quam attuli supra, quia si reprobatio non sequeretur præuisionem falsò dixisset Apostolus, quod Deus omnes homines vult saluos fieri, quod probo, nam in eo signo in quo Deus videt peccata futura sub conditione, & nondum decreuit illa permittere, vult quantum est ex se saluare omnes reprobos, ergo in eo signo neminem ex se ipso vult damnare, quia implicat vt Deus in eodem signo, ex se ipso velit saluare, & ex se ipso velit damnare. Confirmatur, quia cum Ecclesia orat, vt voluntas Dei fiat, oraret vt maxima hominum pars damnaretur, quod est absurdissimum.

Tertia ratio.

Denique sententia hæc Deum facit crudelem supra omnes tyrannos, qui non vnum aut alterum hominem, sed omnes ferè homines ex se ipso destinant ad æternas pœnas: sicut si quis pater amantissimus se dici vellet, & tamen necaret filios ferè omnes si quis Rex se prædicaret esse clementissimum, qui nihilominus subditos omnes exceptis paucissimis, morte damnaret, & supplicijs cruciaret acerbissimis, ad ostendendum se esse Dominum. Quomodo? ergo benignitas Dei diceretur inuitare peccatores ad pœnitentiam, posuisse in manu nostra vitam & mortem & alia huiusmodi.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam Resp. nihil ex omnibus illis scripturis contra nos concludi; Primò, enim Esau odio haberi dicitur antequam agat aliquid boni, vel mali, quia minus diligitur & reprobatur à gratia efficaci, quam gratis, & ex pura Dei beneuolentia, Iacob accepit. Neque par est ratio amoris, & odij; Deus enim cum amat non inuenit bonum sed facit, cum odit non facit, sed supponit malum. Itaque gratis ex se ipso eligit sine merito præuio, non reprobatur sine præuio peccato. Excitatur in pœnam delictorum præcedentium Pharaon, vt ostendat in eo Deus potentiam, & virtutem suam, quia in pœnam peccatorum permittit Deus alia peccata. Deinde illud, in hoc ipsum excitauit te, potius euentum significat, quam causam finalem, vt ostendit Maldonatus: similiter cuius vult miseretur, & quem vult indurat, sed cum hoc discrimine, quod ex puro miseretur beneplacito, indurat ex solo peccato. Comparatur Deus figulo qui facit aliud vas facit in honorem, aliud in contumeliam, propter reprobationem negatiuam quæ à sola Dei voluntate pender, non propter positiuam, quæ sequitur demerita præuia. Et hoc est inscrutabile arcanum prouidentia Dei, quæ cum omnia impedire posset mala, & totam hominum massam corruptam expurgare, mauult finire mala esse, qui utique illa esse non sineret, nisi bonum esset esse aliqua mala ob fines bonos.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. negando Augustinum sequutum vnquam esse atrocem illam sententiam vt ex ijs ipsis libris qui citantur constare potest; nam in Enchir. v. gr. cap. 84. *Nisi per indebitam misericordiam*, (inquit) *nemo liberatur, & nisi per iustum iudicium nemo damnatur*, & c. 98. *nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur.* In ijs ergo locis vbi soli Dei voluntati tribuere videtur reprobationem, de sola negatiua intelligendus est, sicut etiam S. Thomas.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam Respon. Deum in eo signo in quo vult gloriam electis antecedenter ad merita, omnino negatiuè se habere circa reprobos, neque de illis efficaciter quidquam statuere, sed tantum velle salutem il-

lorum ineffaciter, quia si positiuè vellet non eligere, fateor quod positiuè illos vellet excludere.

Ad primam confirm. concedo Deum velle gratiam sufficientem & permissionem peccati propter aliquos fines optimos quos ipse nouit, sed nego illum finem, esse damnationem reprobi, quia hoc repugnat bonitati Dei, quis autem? finis ille sit inscrutabile nobis est, quare hunc trahat, & illum non trahat noli diiudicare si non vis errare.

Ad secundam confirm. disting. anteced. Deus ex se ipso antecedenter vult aliquid ex quo per accidens, & contra intentionem Dei sequitur damnatio reprobi concedo, ex quo sequatur per se damnatio reprobi, nego. Nam peccatum, & damnatio reprobi non nisi per accidens sequuntur ex gratia sufficiente & ex permissione peccati. Vnde negatur quod Deus virtualiter velit damnationem, quia velle illam virtualiter, esset velle illam in causa, ex qua per se damnatio sequatur, non autem in causa ex qua sequatur per accidens, alioqui Deus vellet etiam ipsum peccatum quod per accidens sequitur ex eius permissione.

S. III.

Quanam sit causa reprobationis paruulorum.

Potest illa esse, vel sola voluntas Dei, vnde sequi videtur similiter quod Deus ex solo beneplacito suo reprobet positiuè adultos, vel potest esse ipsum Adami peccatum, vt censet Vasques pro ijs paruulis quibus applicari potuit baptisimus si voluissent parentes: vel potest esse peccatum ipsum originale vsque ad mortem durans.

Controuersia.

Ratio enim dubitandi est primò, quia si sola Dei voluntas est causa reprobationis paruulorum qui moriuntur absque remedio, reprobatio etiam adultorum causari potest à sola Dei voluntate, sed reprobatio istorum paruulorum non causatur nisi à Dei voluntate; sic enim expressè asserit Augustin. epist. 105. & 107. *Non quia ipsi nolunt* (inquit) *sed quia Deus non vult*, & l. de corrept. & gratia c. 8. l. de gratia & libero arbitrio c. 22. & sapientissime aliàs.

Prima dubitatio.

Secundò, si Deus ex se ipso non vult illos paruulos saluare, voluntas Dei est adæquata causa illorum reprobationis, sed Deus nullam habet voluntatem saluandi huiusmodi paruulos qui moriuntur in matrum utero, vel qui nulla parentum diligentia possunt peruenire ad baptisimum, quod probatur tunc Deus nullam habet voluntatem saluandi hos paruulos, quando ex sola voluntate Dei antecedente, nullum est eis possibile remedium, quo possint peruenire ad salutem; sed ex sola voluntate Dei, nullum est eis possibile remedium, quo ad salutem possint peruenire, ergo Deus nullam habet voluntatem saluandi hos paruulos. Maior est euident, nam quos Deus saluare vult ijs parat remedium quo efficiatur illis salus possibilis, si autem est ipsis impossibile, ac inapplicabile remedium certè per illud non efficiatur salus possibilis, ergo si Deus vult illorum salutem parat illis remedium possibile ac applicabile. Minor ergo probatur tunc remedium est impossibile ex sola Dei voluntate, quando ex sola Dei voluntate ponitur cursus causarum secundarum, quo posito illud remedium est impossibile, ergo ex sola Dei voluntate illud remedium est impossibile.

Secunda.

Tertiò, dici non potest remedium esse impossibile solum ex voluntate Dei consequente, si ex voluntate Dei antecedente cursus ille causarum eligitur, cum quo non potest remedium applicari, sed ex sola Dei voluntate antecedente cursus ille causarum eligitur, ergo remedium est inapplicabile ex voluntate Dei primaria & antecedente, non autem ex voluntate solum consequente. Deinde si ex voluntate anteceden-

Tertia.

te ac conditionata, Deus vellet salutem paruuli & applicabilitatem remedij, voluntas Dei esset conditio ad voluntatem Dei; Deus enim diceret volo remedium posse applicare, si ego nolim cursum causarum, quem volo poni. Quod decretum absurdum est, & indignum Deo; cum enim aliquis vult aliquid consequenter quod antecederet non veller, non debet ponere conditionem, quâ posita incipit nolle quod volebat prius. Sicut Mercator qui ortâ tempestate projicit merces, non debet esse causa tempestatis, alioqui frustra diceretur consequenter tantum velle iacturam mercium.

Voluntas
Dei.

Dico primò, causa reprobationis paruulorum quos immatura mors rapit, non est sola voluntas Dei, ita Catholici omnes Doctores.

Ratio autem est duplex, vt fusè trado disp. 1. de sacrament. Primò, voluntas Dei generalis saluandi omnes homines quam etiam probaui supra. *Nunquid enim* (inquit Augustin. l. 4. contra Iulianum.) *paruuli homines non sunt, vt non pertineant ad id quod dictum est, vult omnes homines saluos fieri.* Altera ratio est, quia Christus generalis est omnium Redemptor, si ergo etiam paruulis istis profuit mors Christi, certè sequitur necessariò quod salutem etiam eorum Deus voluit, ergo ex sola Dei voluntate causari non potuit eorum reprobatio. Quæ omnia fusè probata inuenies eo loco.

Peccatum
originale.

Dico secundò, solum peccatum originale, prout perseverans vsque ad mortem causa est, reprobationis paruulorum omnium, siue illis applicari potuerit remedium, siue non, contra Vasquem, qui ait peccatum Adæ, causam esse reprobationis eorum, quibus per causas naturales baptismus applicari potuit.

Ratio tamen est, quia Deus omnibus paruulis, etiam ijs, quibus per causas naturales applicari baptismus non potuit voluntate consequente, voluit applicabilitatem, & possibilitatem remedij, ergo de omnibus par ratio est, aded vt si peccatum originale causa est reprobationis aliquorum, causa etiam sit reprobationis omnium, antecedens multis infra probabitur rationibus, quia scilicet Deus vult baptismum applicabilem esse paruulis, si causæ alicuius secundæ impedimentum non obstat, hoc est Deum velle antecederet & conditionatè applicabilitatem & possibilitatem remedij, ergo Deus antecederet & conditionatè vult remedium illud esse applicabile. Maior probatur, quia baptismus qui ex intentione primaria Dei est omnibus applicabilis, redditur quibuldam inapplicabilis dupliciter. Primò ex defectu causæ alicuius liberæ matris, v. gr. vel alicuius alterius qui diuinitus immisissam aliquam inspirationem negligit, cui si obediret, baptismus applicabilis esset paruulo, euident est autem quod Deus antecederet vult applicabilitatem remedij, quoties aliqua causa libera culpabiliter impedit eius possibilitatē, semper autem hoc contingere quoties paruuli moriuntur in matrum vtero, aut quoties deficit aqua, vel personæ, à quibus administraretur baptismus, probabilissimè docent grauissimi Theologi, nitunturque autoritate S. Prosperi l. 2. de vocat. gentium. c. 23. vbi hoc planè asserit, deinde beniguitate illa Dei quæ neminem excludit à possibilitate salutis. Secundò, si non placet referre hoc impedimentum ad causam liberam, referri necessariò debet ad cursum causarum secundarum, quem Deus voluntate solùm consequente, ac secundaria eligit propter causas altissimas prouidentie: primario enim vult salutem paruuli, & applicabilitatem baptismi, deinde verò in altero signo, perspectis altissimis illis rationibus, eligit cursum illum causarum voluntate secundariâ, & consequente, quâ non impeditur, quin primariâ, & antecedente voluntate voluerit remedium, & eius applicabilitatem. Ergo

semper Deus voluntate antecedente, ac primariâ vult possibilitatem applicationis baptismi, cum impedimentum non velit nisi voluntate consequente ac secundariâ, & quidem permissiua tantum, si obstat causa liberè impediens, vel absolutâ quidem, sed ex suppositione rationum illarum propter quas in posteriore signo eligitur cursum talis causarum secundarum, per quas est inapplicabile remedium. Vnde

Ad primam Resp. Augustinum verè ac optimè referre ad voluntatem Dei secundariam & consequentem, quod remedium impossibile sit paruulis, quod impedit primariam & antecedentem voluntatem.

Solutio
trium du-
bitationū.

Ad secundam eadem responsio est, negando remedium illud esse impossibile, ex voluntate Dei primariâ & antecedente, vt satis probasse videor.

Ad tertiam maior difficultas est, quia in hoc decreto, in quo Deus vult salutem paruuli, & remedium applicabile, voluntas Dei videtur esse conditio ad se ipsam, sed hoc tamen negari debet, quia Deus non dicit volo applicari posse remedium, si volo cursum illum non esse, quem tamen volo & eligo: sed dicit volo remedium posse applicari, si non obstat altissima causæ, propter quas ego postea eligam hunc cursum in quo salus illa sit impossibilis. Semper ergo in illo decreto duo sunt signa rationis distinguenda, vnum in quo velit possibilitatem remedij, sed conditionatè, alterum in quo velit propter altissimas causas hunc cursum, neque in eo toto progressu aliquid est impossibile, vel indignum Deo.

SECTIO III.

De effectibus reprobationis.

Id est, quomodo se gerat Deus erga hominem quem decreto suo absoluto excludit à gloria, & inferis addixit, & quid in eo faciat consequenter ad illud decretum, & propositum eum damnandi; effectus enim reprobationis opponuntur effectibus prædestinationis, idè effectus reprobationis negatiuæ dicuntur ea, quæ procedunt à voluntate negandi gratias congruas: effectus reprobationis positiuæ sunt ea quæ fiunt à Deo ex intentione puniendi hominem, & habent connexionem cum actuali eius exclusione à gloria.

Explicatio
questionis

Sunt autem in hoc puncto tria omnia certa. Primum, quod in nullo vero sensu dici potest peccatum esse effectum reprobationis, quia omnis effectus reprobationis causatur & intenditur à Deo, qui neque causare neque intendere potest peccatum etiam secundum materiale vt probaui. Secundum est, quod permissio primi peccati, quod est quasi prima radix damnationis, semper est effectus reprobationis negatiuæ vt patet, sed non potest esse effectus reprobationis positiuæ, alioqui reprobatio causaretur à sola Dei voluntate, quod ostendi repugnare. Tertium est quod permissio perseverantiæ in peccato vsque ad mortem non est effectus reprobationis, cum illa perseverantia sit causa totius reprobationis.

Tria certa.

Difficultas igitur triplex superesse potest. Prima, de permissione peccatorum, quæ sequuntur primum peccatum. Secunda, de obstinatione. Tertia, de morte in peccato, quomodo sint effectus reprobationis.

Ratio dubit. primò est, quia si Deus ex affectu puniendi hominem, decreuit permittere lapsum eius in plura peccata, sequitur quod Deus amet peccata vt medium ad finem quem amat; ipsam enim amat penam, quam obtinere non potest sine peccato. Imò Deus nunquam decreuit penam alicuius peccati, quin prius præiudicaret durationem eius vsque ad mortem, ergo nulla permissio peccati, potest esse effectus reprobationis.

Triplex
dubitatio.

Secundò, induratio & obstinatio, quæ dicuntur effectus reprobationis, vel significant solam negationem

nem auxilij congrui, & sic, quicunque peccat est induratus, vel negationem auxiliorum etiam sufficientium ad penitentiam & conuersionem, & ita extra statum via reprobis erit, atque adeo non peccabit quoties non implebit præceptum, quod sine gratia implere non potuit, ergo illa induratio non significat aliud quam peccatum, illud (vt dixi) nunquam esse potest effectus reprobationis, ergo neque induratio.

Tertiò, videtur omnino dicendum quod reprobis præsertim induratis omne à Deo negatur auxilium gratiæ ad conuersionem, quia illi dicuntur in scriptura derelicti, abiecti, proiecti, contempti, excæcati, *nemo potest corrigere, qui Deus despexerit. Demisit eos secundum desideria cordis eorum. Propterea non poterant credere, quia dixit de illis Isaias excæca cor populi huius, &c.* Neque negari potest eam esse mentem Augustini, non ergo (inquit in exposit. propositionum ad Rom.) illi imputetur, quod non obtemperauit quia obdurato corde obtemperare non potuit.

Primus effectus.

Dico primò, permissio peccatorum quæ sequuntur primum peccatum, potest esse, & de facto est frequenter effectus reprobationis positiua.

Ratio est, quia illud quod intendi à Deo potest ex efficaci affectu puniendi reprobum & quod habet connexionem cum damnatione, est effectus reprobationis: permissio peccatorum quæ sequuntur primum huiusmodi est, quia certissimum est permissionem peccati esse sapientissimè pœnam aliorum peccatorum præcedentium, vt suppono ex tract. de peccat. Vbi hoc plenè probatum est; *appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam*, hæc pœna procedere potest ex voluntate damnationis reprobi; si enim Deus præuideat primum peccatum duraturum, vsque ad mortem, posita eà scientiâ, potest efficaciter eum excludere à regno, & in pœnam talium postea peccatorum, permittere vltiora peccata per quæ illum magis puniat tunc permissio istorum peccatorum sequitur voluntatem puniendi, & habet connexionem infallibilem cum damnatione, vt patet.

Secundus effectus.

Dico secundò, induratio tum permissiua, tum etiam positiua, quatenus est à Deo, est verus effectus reprobationis, & illi maximè proprius, modo tamen illa non significet permissionem impœnitentiæ finalis.

Quid propria sit obstinatio.

Ratio est, quia induratio cordis tripliciter in scripturis, & apud Patres sumi solet, vt fusiùs dixi, prima secundæ agens de causâ peccati, & agens de gratia sufficiente, & tertia parte agens de possibilitate penitentiae; primò enim sumitur quasi formaliter, & significat peccatum quo Deo vocanti, & inuitanti per gratias suas ad conuersionem, & per graues occasiones ad eam incitanti diu & pertinaciter resistimus: *tu autem secundum duriciem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die ire*; hoc enim sonat nomen ipsum durities, cuius proprium est resistere ictibus, & non cedere impulsibus, quale peccatum erat Pharaonis, qui tam claris, & tam crebro repetitis Dei miraculis non cedebat. Secundò, sumitur quasi passiue, ac dispositiue, significatque dispositionem quandam habituales hominis peccatoris, per quam ob diuturna peccata redditur in posterum inhabilis, ad obediendum diuinis inspirationibus, & admonitionibus, & ad illas etiam nullo modo sentiendas, neque cognoscendas veritates supernaturales, quas Deus proponit; videtur enim tribus his contineri, non cogitare, non penetrare, non sentire, neque tangi tantis ac tam efficacibus motiuis, iuxta illud Isaiæ, *excæca cor, aures aggraua, oculos claudet*. Nam sicut gratia includit illuminationem intellectus, & impulsum voluntatis, *illuxerunt coruscationes tue, orbi terra vidit & commota est*, sic obduratio dicit cæcitatem quandam in intellectu,

& inaduertentiam ad ea quæ Deus loquitur interiori non enim cogitat, ad alia distractus, vel certè non penetrat eorum magnitudinem, *vinam sapientie & intelligerent & nouissima prouiderent*, idèd vocatur excæcatio, aurium aggrauatio. Includit etiam in voluntate obstinationem, quâ nec sentit diuinos motus, nec ab illis tangitur vt efficaciter respiciat, *indurauerunt facies supra Petram, & noluerunt reuerti*. Vocaturque propriè obduratio, obstinatio, reprobis sensus. Tertiò, sumitur velut causatiue, significaturque id, quod causat per accidens hoc peccatum, & hanc dispositionem, & est verè decretum negandi reprobo propter peccata præcedentia, gratias congruas, quibus cor de facto emolliretur; Deus enim indurare dicitur, tùm negatiue quatenus auxilia illa negat quibus cognoscit emolliendam esse voluntatem, *eo modo*, inquit August. *quo sol aquam indurat recessu suo*, decretum enim negandi eam in longum tempus est illa propriè dicta induratio cuius sine dubio Deus est causa, tùm positiue quoque indurat. Primò, offerendo quasdam occasiones, ex quibus seipsum aliquis indurat, *ego in emulationem vos adducam*, deinde flagellando, *multiplicabo flagella mea, & portenta in terra Egypti, & non audiet vos*. Denique suspendendo, & subtrahendo flagella, *videns quod dura esset requies ingratiuauit cor suum*, & iuxta triplicem illam obdurationis acceptiōnem dixit optimè August. indurationem esse peccatum & causam peccati, & pœnam peccati, & illam esse verum effectum reprobationis in tertia significatione, patet ex dictis de permissione peccatorum.

Tertius effectus.

Dico tertiò, mors in peccato si fiat per causas purè naturales, non est effectus reprobationis: si autem fiat per causas præternaturales, potest esse effectus reprobationis.

Ratio est, quia reprobatio non fit saltem regulariter, nisi post præuissum peccatum finale, ergo fit regulariter post præuissam mortem in peccato, si verò per causas extraordinarias mors contingat, tunc modus ille mortis, & quod fiat hoc tempore potius quam alio, effectus est reprobationis, tunc enim causa reprobationis est peccatum, vt durans vsque ad mortem, & eius effectus est illa mors immixta eo tempore potius quam alio.

Ad primam, responsio patet ex dictis quæst. 2. quomodo possit permissio peccati esse effectus prædestinationis; Deus enim permittit peccatum in pœnam præcedentis peccati, neque tamen propterea peccatum amat nisi permissiue. Vnde sequitur, quod permissio peccati prioris vt duraturi vsque ad mortem præcedit reprobationem, permissio autem aliorum peccatorum, est effectus reprobationis.

Solutio dubitationum.

Ad secundam, satis explicatum est quomodo induratio causatiue sumpta, siue proptèr est pœna peccati, sit negatio auxilij efficacis, per longum tempus facta ex decreto Dei post plura peccata commissa.

Ad tertiam probabitur prima secundæ, & in tract. de penit. neminem esse reprobum adeo induratum, & obstinatum cui Deus decernat gratias omnes sufficientes negare in longum tempus, etiam si eas non quolibet instanti conferat: nemini Deus conuersionis obstruit viam, nec quemquam boni possibilitate spoliât.

Supererat dicere proprietates reprobationis, eius signa, numerum reproborum, & quomodo mysterium hoc absconditum prædestinationis, & reprobationis proponi populo debeat. Sed hæc partim patent ex dictis de proprietatibus & de signis prædestinationis partim ad aliud, forum pertinent.

DISPUTATIO VI.

De Trinitate personarum diuinarum.

S. Thomas à quæst. 27. ad 43.

Sublimitas
mysterij.

Partitio.

ACTENVS ea de Deo dixi, quæ declarant perfectionem eius, quatenus vnus est, Imò (vt loquitur Dionys.) *ipsum vnum continens, & efficiens omnes numeros.* Nunc de Trinitate personarum, in illa summa vnitatem dicere aggredior, & explicare: *Mysterium Diuinitatis in fastigiis* (sic enim Trinitatis mysterium appellat Cyrillus) *quia nullibi sublimior, nullibi profundior Deitas esse potest, quam cum distribuitur vnitè, diuiditur singulariter, & efficitur multiplex, non recedens ab vno,* (vt ait idem Dionys.) *Vnitatis videlicet in dualitatem mota in Trinitate subsistit,* (inquit Nazianz. orat. 2. de Theolog.) *& in eo veluti fastigio metas ponit.* Video autem totam hanc, obscurissimi mysterij considerationem, ad quatuor potissimum capita reuocari posse. Primum sit, eius existentia. Secundum, quidditas. Tertium, proprietates singularum personarum diuinarum, in particulari. Quartum, proprietates communes tribus personis, sed hoc ante omnia vnum in hac tractatione pramittendum est, quod sapienter monet Hilar. lib. 2. de Trinitat. *Perfecta scientia est sic Deum scire (Trinum in Vnitatem) ut licet non ignobilem, inenarrabilem tamen scias, credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus.*

QVÆSTIO I.

Existentia & cognoscibilitas mysterij Trinitatis.

S. Thom. q. 3. art. 1. q. 3. 2. art. 1.

VT igitur in tanta caligine, de obscurissimo Mysterio disputem vt possum clarissimè, necesse in primis est ostendere, quod reuera sit in Deo perfectè vno, personarum tamen pluralitas, & vera Trinitas, & primò quidem quomodo id ex lumine fidei certò constet. Secundò, vtrum naturalis etiam ratio euidenter possit illud demonstrare. Tertio, vtrum illud eadem ratio saltem euidenter negatiue demonstrare valeat.

SECTIO I.

Existentia, & cognoscibilitas Trinitatis personarum ex lumine fidei.

Veritatis
Catholicæ
capita
quinque.

Certum est primò, veritatem Catholicam de Mysterio Trinitatis, quinque potissimum contineri capitibus. Primum est, Deum ita esse perfectè vnum, vt implicet omnino esse plures Deos, quia esse Deum, est esse omnium primum, & summum inter omnia, primum autem & summum necessario vnicum est. Secundum est, pluralitas personarum diuinarum, & earum distinctio, id est, esse in essentia illa perfectè vna, verè ac realiter personas plures inter se distinctas. Tertium est, consubstantialitas, & æqualitas diuinarum personarum, id est, tres illas personas esse vnum Deum, eiusdem sapientiæ, sanctitatis, potentie, sine vlla inæqualitate vel diuisione. Quartum est, processio personarum, quod ex his diuinis personis vna improducta sit, & vt loquitur (Paschasius:) *Fons fluminis sui,* secunda procedat à prima per viam cognitionis, & veluti splendor, ex tota intelligentia diuini maiestate collucens, (vt loquitur Basil.) Tertia verò procedat à prima, & secunda, per viam amoris, veluti osculum Patris ad Filium, nexus vtriusque, ac sancta communicatio, (vt ait S. Bernard.) Quintum est relatio

personarum, quod videlicet prima sit verè Pater: secunda Filius: tertia licet verè producta, & vtrique consubstantialis, non sit tamen Filius.

Certum est secundò, quod aduersus quinque illa fidei Catholicæ dogmata erratum est multipliciter, tum ab Ethnicis tum ab Hæreticis, primò enim, vnitatem essentiae, ac naturæ diuinæ negant omnes gentiles, qui Deum de medio tollunt, dum asserunt esse plures Deos, cumque omnino errorem sequuntur Trithēitæ transyluani apud Becan. tract. 2. cap. 3. quæst. 3. qui asserunt tres personas esse tres Spiritus æternos, immensos, ac proinde tres Deos: Secundò, pluralitatem & distinctionem realem personarum diuinarum, negarunt Noëtus, Hermogenes, Praxeas, Sabellius, asserentes non esse magis in Deo pluralitatem personarum quam essentiarum; tres enim personas tantum esse nomina, (Patrem) videlicet appellari, quatenus creat, (Filium) quatenus incarnatur, (Spiritum Sanctum) pro vt sanctificat. Verbum enim diuinum omnino negabant esse subsistens, sed aiebant illud esse merè prolatitium, vt testantur Nazianz. & Epiph. quam insaniam sequuti postea sunt Paulus Samosatrenus, Photinus, Priscillianus, & demum temporibus Pij IV. Deiste, Michaël Seruetus, aliique apud Sande- rum lib. 7. de visibili Monarch. Hæresi 228. quibus multipliciter fauent Lutherus, Caluinus, & eorum asseclæ. Tertio, consubstantialitatem, & æqualitatem negarunt Arius, Macedonius, Eunomius aliique relati à Vasq. disp. 109. cap. 1. quorum aliqui negarunt Filij diuinitatem, alij diuinitatem Spiritus Sancti. Quarto, circa processiones, & relationes multipliciter erratum est ab aliis, quos inferius referam, & refellam. Vide Vasq. disp. 108. & 109. Valentiam in controuers. lib. 5. de Trinit. Ruiz disp. 19. 20. & 41.

Vnitatis &
pluralitas.

Dico primò, in Deo ita est essentia summo modo vnica, vt sit tamen vera in eo pluralitas, & distinctio personarum. Hæc est veritas Catholica quam copiosè ac mirabiliter probant contra Gentiles, Iudeos, Sabellianos, & eorum gregales, Athanasius aduersus Gregales Sabellij, Chrysost. serm. de Trinitate, Cyrill. in lib. Thesauri, & lib. de Trinitate aliique plures relati à Petauio, tom. 2. dogmarum lib. 2. Ruiz disp. 36. Suares lib. 1. cap. 3. ex quibus pauca hæc retulisse satis erit.

Contra
Gentiles.

Primò ergo contra Gentiles probatur hæc trium vnitatis, ex Sybillarum oraculis, in quibus pluralitas hæc indiuisa clarissimè expressa est testimoniis, deinde ex pluribus eorum, suffragiis, qui apud Ethnicos sapientes habiti sunt, ac demum ex omnibus illis motiuis credibilitatis ex quibus supposita Dei veracitate, solent reliqua fidei mysteria probari.

Contra Iu-
dæos.

Secundò, contra Iudeos argumentantur Patres ex pluribus Veteris Testamenti locis, quibus nihil expressius dici potest. Primus habetur Genes. primo vbi Deus non Angelis loquens vt Rabbinj commenti sunt, sed personæ sibi æquali, *Faciamus* (inquit) *hominem, ad imaginem nostram, faciamus ei adiutorium, simile sibi.* Et tamen additur statim in singulari *creauit Deus hominem,* in quem locum expendit plurima Basil. in exaëmero, præsertim quod amentis sit inuitare, vel consulere se ipsum ad operandum, & Theodoretus quæst. 19. in Genes. *Quod Deus loquatur in plurali ad eos quos sue operationis vult esse consortes:* quod idem ponderant Concil. Nicæn. lib. 2. Ignatius epist. 9. & alij Patres passim. Alia etiam loca proferentes vbi Deus in plurali loquitur, *Adam factus est quasi vnus ex nobis*, Genes. 3. *Quem mittam, & quis ibit nobis* Isaia 6. Secundus locus habetur Genes. 18. vbi Abraham tres viri apparent, ad quos tamen loquitur Abraham in singulari quasi ad vnum, dicens *Domine.* In ò tres videt & vnum adorat, quem etiam Genes. 9. imitatur Loth pluribus loquens Angelis *Domine,* inquit, &